…ntinus felicianus
episcopus …cais

Jarmundowicz Casimiri: Agnus Szaniavius in loco pascuae coelestis post dolendum e vita abitum Const. felic. Szaniawski, Ep. Cracov.

AGNUS SZANIAVIUS
In loco pascuæ Cœlestis;
Post dolendum è vivis abitum.
Celsissimi olim Principis,
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI
D. CONSTANTINI FELICIANI
In SZANIAWY,
SZANIAWSKI,
DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratiâ EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis CANCELLARII,
COLLOCATUS:
Atque, dùm
In Basilica Cath: Crac: mortales desideratissimi PRINCIPIS Cineres pompâ solemnî tumularentur;
Ad feralem Sarcophagum
A
M. CASIMIRO JARMUNDOWICZ,
In Alma Universitate Cracoviensi Philos: Doctore & Professore, Collega Minori.
OBSERVATUS.
ANNO DOMINI 1732. *Die* 29. *Julij.*

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

- - - - - Agne!

Quâ te parte Poli? quo te sub cardine quæram!
Quis monstrator erit?
Claud: lib: 3. de rap: Pros:

Machina laxatur Cœli, rutilæq; patescunt
Sponte fores;
Invitantq; novum Sidus, pendentq; vicissim,
Quas partes velit ille sequi? quibus esse sodalis
Dignetur stellis? & qua regione morari
Claud: de 3. Cons: Honorij.

Clades te nulla rapit, solusq; superstes
Edomita tellure manes, non stamina Parcæ
In te dura legunt, (Præsul!) *non jus habuêre nocendi.*
Claud: in Epigr:

- - - *Salve æternùm mihi maxime Palla!*
Æternùmq; vale.
Virgil: lib: 11. Æneid:

ILLVSTRISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

JOSAPHATO,

SVBDAPIFERO Regni, Checinensi, Małogostē: &c.

FABIANO,

VENATORI M. D. L. Sochaczoviensi, Czerkaviēsi, Radżicensi, Mostoviensi, Kąkolewnicensi, &c.

STANISLAO,

Augustoviensi, &c. &c.

CAPITANEIS

SZANIAWSCIIS:

Dominis & Mecænatibus Munificentissimis.

ABsit à nobis infandum Vestrî renovare dolorē ILLVSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI. Non intendimus dolores scribere, sed potiùs ex cordib9 Vestris (si fas esset) omnes

ōnes proſcribere, ferre afflictis ſolamina, nō vulnera vulneribus cumulare. Ideò ut mæroris Veſtri magnitudinem minuamus, illius partem maximam noſtros in humeros ſuſcipimꝰ: ut alleviemus gravitatē, officioſas manꝰ ſupponimus: ut detergamꝰ lachrymas, paginas pro ſpōgia ferimꝰ. Collegimus in eas Celſiſſimos Patrui Veſtri ſplēdores, ut ſquallorē mētiū Veſtrarū ſerenaremus: cōgregavimꝰ profuſos gratiarū favos; ut cordiū cōdiremꝰ amaritudinē: inſtituimus īgētiū meritorū cōmēorationē, ut cōtinuā Præſuleæ mortis diſtraheremꝰ memoriā, ac motos alto de pectore queſtus. Patiamini exhilarari Magni Heroes! Vobis Nos Academici lætiſſima precamur omnia, & ad Aras converſi illud conſonô modulamur ore: Dij Patrij! SZANIAVIAM ſervate Domum, ſervate NEPOTES.

AGNVS SZANIAVIUS, In loco Paſcuæ Cæleſtis COLLOCATUS.

FAllimur nimiùm mortales, noſtroque temerè creduli ſuccumbimus ſenſu; quoties inæſtimabiles magnorum Virorum & Præſulum Gemmas (qualem hodiè mixtis cũ ſingultu deploramus lachrymis) ſimulac in loculos, ac in feralem tumulum ceciderint, ſuis pænitus cum ſplendoribus extingvi ac interire arbitramur. Caſus hic, gemmarum ſervandarum ritus eſt, non interitus.

Urnæ funebrales arcæ aut navis officium implent, dum pretiosa hæc Virorum, uno olim minorum Jove deposita vel æternitati conservät, vel per præcipites obliviosæ Lethes undas felici remigiô ad superos devehunt, Cælestis Coronæ in decorem. Triste fere-trum triumphalem currum dixerim; quo Victores seculi ad Capitolium immortalis gloriæ, pios duntaxat Nervas, liberales Trajanos, mites Theodosios concernentis, plausibili cum pompa deportantur. Phænices Heroum Spiritus emortui quidem, ac penè bustis corrosi in feralibus videntur; illi tamen è suis evolant versùs sidera cineribus, novam sumentes ex funere vitam. Soles Regnorum, majora scilicet Principum Luminaria, in mortali labilis vitæ eclypsi hoc cum Phæbo habent simile; quòd apparere tantùm desinunt non lucere. Serenissimæ à primo ortu Majestatum Auroræ, quam ab obtutibus nostris auferunt non amittunt lucem, sed alteri Cœlo communicant spectabiliorem præferentes vultum. Ita Oetheus Hercules & germana Plejadum cohors postquam in terris desiêre, inter sidera fulgent,

splen-

ſplendore eò meliori, quód æternô. Non fit injuria lilijs dùm humantur, quia in florum Reges excreſcunt: frugibus dum ſulcis inſeruntur, quia uberiori cū fænore ſurgunt. Plerumq; poſt privationem unius formæ ſuccedit altera nobilior: ubi deſinit homo, incipit Deus eſſe Oſyris: Pereunt quidem ſuo deſtitutæ lumine Juniales Lunæ, ſed in Julio veniunt pleniores, & reſuſcitatâ luce opacam noctium illuſtrant caliginem. Beatus ſomnus in Domino morientium; potiùs dicam obdormientium! quibus inter mille voluptuoſiſſimas ſomniorū figuras, Regna Cœleſtia ad manus infert Fortuna, Timothei commento veritatem datura. Proſunt in tantum triſtes Libytinæ noctes, ut poſt illarum decurſum, meliores mortalibus oriantur ſoles, poſt terminatas ætates veniat æternitas, poſt ſquallentes tenebras lux æterna recurrat. Glorioſis inſiſtentes paſſibus in vitæ ſtadio Viatores, è caduco fragilis corporis diverſorio egreſſi, per media mortis latrocinia eunt, & felici beatam illam, Sanctam, & tot votis exoptatam attingunt Patriam, præſertim ſi comes in via probitas facem

præferat. Hæc unica ſtellantis Cœli Filia, gratioſum Superûm in terris munꝰ, quotquot ſuis decoribûs exornat, omnes fatis eximit inſultans buſtis, ſupereminens tumulis rabiem mortis triumphans & iram. Hæc una emeritorum Virorum promotrix acerrima, ſicut vivis ad auguſtalia honorum & fortunæ archiua oſtium pandit; ita morientibus Cœlos recludit, & capaces beatitudinis animas per coruſcantes ſiderum choros, per media Spirituum Cæleſtium agmina ad æterna Empyrei gaudia deducit & locat. Hac ipſa duce comitantibûs hinc & inde meritîs attigit in Coelis Thronum gloriæ *Celſiſsimus* olim *Princeps*, *Illuſtriſsimus* & *Reverendiſsimus Dominus*, CONSTANTINVS FELICIANVS SZANIAWSKI, *Epiſcopus Cracovienſis*, *Dux Severiæ*, Studij generalis Vniverſitatis Cracovienſis CANCELLARIUS. Redijt ad annulum æternitatis Præſulum Unio honore & origine nobiliſſimus; reverſus ad Coronam Sanctorum Eccleſiæ Lapis, Civium Patriæ atque Regum æſtimatione pretioſiſſimus: receptus inter ſidera Poli Sarmatici Phoſphorus, purpurea luce & multiformi virtutum radiô nitidiſſimus:

mus:

mus: verbô dicam: redijt in Cœlos CONSTANTINVS ab operum vaſtitate magnus, ab agendarum rerum prudentia ſublimis, à Paſtorali Cleri & Diœceſis gubernio inclytus, à meritorum & virtutum apparatu candidus, ſimul venerabilis & amplus. Ergone redire non debuit? qui ad avertenda Patriæ mala Lechiæ; non dicam datus, ſed duntaxat conceſſus erat. Ergone Cœlis non recipi? qui illos tot ſideribûs, quot bonis in vita operibûs, tot aſtris, quot meritis auxit. Ergone ad Æthereos non inferri colles? qui ſibi erogatìs muneribùs ſubſidiarias pauperum & egentium manus procuravit. Ergone æternam cum Sanctis requiem non obtinere? qui inquietatæ tot bellis Patriæ, turbatoq; tot ærumnis Regno deſideratam reddidit tranquillitatem, florentiſſimæ hujus, quâ fruimur pacis plantator, aſſertor & áuthor. Jure merito factum, quòd Cœli recepere SZANIAVIVM, quia probiſſimus: quòd immortalitati inſeruêre, quia digniſſimus: quòd coronavêre, quia meritiſſimus. Clauſit quidem in æternam radiantia lumina noctem Argus hic

pervigil, ſed rurſus poſt breve mortis conticinium evigilavit, cùm ad Solem Juſtitiæ propiùs acceſſit. Videbatur planè quaſi occiſus an ſucciſus falce Libytinæ AGNVS Gentilitius, ille tamen vivit cum viventibus idq; vitâ eò meliori, quòd ſecuriori & Sanctiori. Abijt ille duntaxat è terris non obijt; ex Coronato Cracoviæ Vavello ad ſtellantem Olympum, ex hæreditaria olim draconis inſula, ad Sedem Leonis de Tribu Juda auguſtam; ex ſaxeis Viſtulæ Sarmatici ripis, ad littora maris Cryſtallini, ex Coronatrice Regum Urbe, ad Sanctam Civitatem Jeruſalem: ex lachrymarum valle ad locum Cœleſtis paſcuæ ſibi ab æterno præfixum, deſtinatum præparatum. Videre jam eum videor ſtellare inter ſidera, eminere inter Planeas, inter illuſtria Zodiaci regnare Signa. Princeps hic vel à Mitra Severiæ SZANIAVIVS AGNVS, cui olim non balare ſed loqui oracula proprium erat, cùm in ſuperna illa Colchide purpureo ſtetit ſplendeſcens vellere, factus eſt ſpectaculum cœli Cœlitumq; admiratio. Utinam nunquam à nobis abijſſes! & eam; quæ Regna-

tori

tori AUGUSTO, quæ Regni Proceribus bonisq; omnibus tecum erat, nunquam interrupisses voluptatem AGNE SZANIAVIE! utinam & Tu nunquam occidisses Celsissime Dioecesis Phæbe? & Ecclesiæ Lumen splendidissimum? beatiores fecisses oculos, si Tuam diutiùs illimem Majestatis lucem speculari permisisses, non squallentes funeris Tui umbras; quibus in occasu Tuo totum à primis Titanis cunabulis usque ad ultimam Thulen involvisti mundum. Umbræ tamen hæ; quia à Te Celsissimo procedunt, diescenti sunt crepusculo similes; nec ita omnino crassæ & opacæ; ut in eis micæ quædam & reliquiæ lucis tuæ spectari nequeant. Ex his ego diligentiùs magnitudinem Tuam inquiram, metiar Majestatem, contemplabor gloriam, & triumphales Agnelli Tui per Coelicos orbes salientis gressus in paginam collectos, nigricanteq; sepiâ expressos, speculatricibus gloriæ Tuæ oculis; ad sepulchrales faces legendos & aprobandos simul exponam, porrigam reproducam.

Dolendæ mortes Principum, ac tristes è vivis bonorum Virorum exitus, quan-

tò inſperatiùs, videlicet præter fidelia ſubditorum vota eveniunt, tantò graviore pænâ & tormentô in amantium populorum corda deſæviunt. Nempe ijſdem fatorum ſcopis, quibus nimium dilectæ Heroum gemmæ, è ſuis everruntur conclavibus, ſubditus vapulat populus, idq; ad dolorem uſq; & lachrymas. Nunquam aliàs excelſiores Cedri cadunt, niſi cum ruina viburnorum & terræ gemitu. Principes optimi & ad omnem bonitatis formam redacti, radices ſunt communis lætitiæ, verùm hîs areſcentibus, areſcunt & rami & folia livent. Ad univerſi annihilationem ſatis eſt primum ceſſare mobile; ſatis ſolem obire; ut cuncta ſub Cœlo caligent. Infelicitas hæc eſt populorum, quòd & ipſi lethali Præſidum ſuorum tabeſcant & pænè moriantur vulnere. Uſitatiſſima hæc in obitu Principum inolevit praxis; ut quò poſſeſſi dulciùs recreant, hòc amiſſi torqueant crudeliùs. Ingentium bonorum indolem roſam dixerim, quæ ubi defluxerit, meras ſpinas ſuo funeri ſuperſtites relinquit. Solem appellaverim, cujus quò gratior eſt ſuo in oſtro aurora; eò funeſtior

ſtior

ſtior umbra in occaſu. Nunquam ſine dolore ex animo eraditur, quod profundè amor inaravit: nunquam ſinè gemitu eſt perditi commemoratio, cujus præſentis fuit amata poſſeſſio. Ita dolet tãtiſper ſuos Nervas & Trajanos Roma ſepticollis; cui quemadmodùm olim fuêre voluptati, ita hodie per vivas beneficiorum expreſſiones facti ſunt ex eo ingens tormentum, quòd non ſint. Antiqui illi dolores & Romanorum cordolia renovantur in nobis hodie ad feralem tumbam Magni nomine & opere CONSTANTINI SZANIAVII, ubi auguſti illius cineres fuſis rigantur lachrymìs, gravantur ſuſpirijs, gemitibus conturbantur. Audire hîc multos videor conqueri, & propè ad deſperatas illas Quiritium de Septimio voces compelli: ô Præſul! ô Titan Eccleſiæ! ô Apex Vavelli Princeps Celſiſſime! aut nunquam naſci, aut nunquam mori debueras: minor fuiſſet doloris acerbitas, ſi te minùs amare potuiſſemus quàm amavimus. Te enim non ſine dolore ereptum ſentimus, quem cum deſiderio expectavimus, & expectatum ingenti cum animi guſtu excepi-

mus. Tales querulantium voces auget luctuosis gemitibûs amplissima Diæcesis Cracoviensis, utpotè quæ optabat ex eo immortalem habere Præsulem, quòd eum experta est optimum, pervigilem & justum. Flebilis est occasus zelosissimi pro aris Divorum Pastoris, nulli tamen ùt sentio flebilior, quâm Vobis ternio Fratrum perfectissime, tria Patriæ Columina Illustrissimi JOSAPHAT, FABIANE & STANISLAE SZANIAVII dignissimi defuncti Antistitis ex Fratribus Nepotes; quos ille innumeris vel ex sui Majestate ortis ornavit decoribus, multiplicatis cumulavit gratijs, amplissimis commendavit titulis; quorum domesticam vel ad ipsa sidera evexit gloriam, & Dijs SZANIAVIUM æquavit nomen. Verum indignus est comploratione Vestrâ, quem gloriosè & juxta regularem rectitudinis normam peracta vita honestavit. Nimis teneri amoris argumentum est, dolere eum ab oculis abreptum, quem sideribus illatum, Cælo importatum esse minimè dubitamus.

Sed ut ad Ceras Principis Celsissimi, atque ad augustam ejus genesim redeam:

C 15.

deam: Non ex levi tribu, nec ex vulgaribus cunis Infulatus hic prodijt Aaron, cui; quamprimùm vivere cæpit, pro fafcijs byſſus & purpura fuit. Præcelſa Domus SZANIAVIA magnorum ab antiquo Heroum nidus oſtro & rubente murice ſtratus, ſublimitate gloriæ colles ſupereminet omnes. Idam illa & Delum natales Deûm excedit insulas, hôc ab illis felicior; quòd non unum ſed tot Joves edidit, quot legum & Libertatis Statores. Arbor SZANIAVII Generis à primis plantationis ſuæ principijs in eam excrevit proceritatem; ut jam ſufficiat frondibus ex ſuis dare Peda Præſulibus. Rubicon Sangvinis Celſiſſimi primâ ab origine profundus, in ampliſſimum poſthac mare diffuſus, omni ſæculo inæſtimabiles Virorum peperit Gemmas, quarum eminentior CONSTANTINVS Coronæ Pontificum inſerta, pretium Infulis auxit & ſplendorem. Pleni ſunt SZANIAVIO Nomine faſti, plena Avorum Imaginibus Atria; plena honorarijs Faſcibus Conclavia, Domeſticæ quoque præſes gloriæ Lucina; ùt ab antiquo cæpit; ita pari ſemper nobilita-

 te viret

te viret. In Illuſtri Domûs SZANIAVIÆ Polo non primus erat Phoſphorus Antiſtes Celſiſſimus, luxerunt anteriùs millena primæ magnitudinis Sidera, tot Caſtores & Oriones, tot Martes & Mercurij, tot Quirini & Hercules non minus nominis famâ inclyti, quàm hydris hoſtilibus metuendi. Velavit quidem hos & ab oculis noſtris abſcondidit nubes mortalitatis, ſed pro ijs pulchro lumine renidet præſentis ſæculi lux clariſſima, Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus IOANNES FELIX SZANIAWSKI Epiſcopus Chelmenſis Coadjutor Archiepiſcopatûs Leopolienſis, Abbas Commendatarius Wąchocenſis, Vir de Eccleſia DEI meritiſsimus, Senatûs delicium, rectioris vitæ regula & amuſsis. Conſcientia illi cryſtallus mundiſsima, per quã Cordis ſinceritas, teneritudo animi, & quidquid optimum in pectore latet, velut ad ſolem tranſparet luculenter. Prodit ſe in publicum ruptîs modeſtiæ repagulîs junctus cum pietate zelus, & fervor ille; quô ſicut ipſe erga Superos flagrat, ita omnes perurit accenditvè. Magnus hic in diebus noſtris

Ponti-

Pontifex felicitatem; quam in nomine portat, communem fecit; quia communicatam Diæcesibus, factus illarum Pastor & Mecænas. Felicem se hodie jactat Chełma Felice Præsule, beatam Leopolis; quam nuper dignissimi Suffraganei fungens munere se ipso felicitavit SZANIAVIVS. Invidet Chełmæ, ereptum, quem sibi præfuturum certò optaverat: quis enim nollet domesticam habere felicitatem? Hæc tamen migrante SZANIAVIO non migravit tota; prodegit potiorem sui partem in plurimos, & quantum ex ea quisq; cæpit habet. Dulce fuit Illustrissimo SKARBKONI maximo Ecclesiæ Leopoliensis Atlanti, succollatorem habere Alcidam SZANIAVIVM, qui illi per laborum suorum indefessa suffragia, non vile tulit levamē; dum ad quæque arduissima negotia, supparē admovit humerū. Addidit consonantiam suorum meritorum Gentilitiæ Archipræsulis Literæ, quæ SZANIAVIANÆ Panegyris facta est initialis; imò in ea millenæ FELICIS leguntur apotheoses sive illa ab infra legatur, sive desuper. Nolim hîc blando murmure lau-

dum mitem Præſulis lædere modeſtiam, intra cujus temperata ſilentia reſonat vocale nomen Illuſtriſſimi olim Excellentiſſimi Domini ADAMI SZANIAWSKI Caſtellani Lublinenſis, Viri majoribus titulis & Curulibus nati; niſi avara bonorum æternitas, quæ quidquid maturitatem attingit, decerpit; vota expectantium titulorum eluſiſſet. Aurea, quæ in Senatu dabat oracula ingens illi auxerê pretium, ita ut ab omnibus æſtimaretur, obſervaretur à ſingulis, amaretur ab univerſis. Quamdiu cum mortalibus immortalitatis certus vixit, occultâ vi bonitatis ſuæ, plurimos in ſui pertraxit honorem, honor conciliavit reverentiam, reverentia demum commendabilem omni ſæculô tanto Viro peperit famam, quæ; ût ſuevit, vivit poſt fata ſuperſtes. Magnanimus Lublinensîs Palatinûs decor & gloria, Cervus, AGNO SZANIAVIANO Conſanguineus ceſſavit quidem ADAMVM, ab hinc; ût ad Cæleſtem Paradiſum migravit, revereri; ſed pro illo habet alium, quem veneratur, nempè GEORGIVM SZANIAWSKI Pincernam Lublinenſem, Virum omnibus

faſci-

Faſcibus parem, prudentiâ ſublimem, Genere excelſum, nomine magnum, etſi fata permittent, futurum maximum. In publicum ille bonum eviſceratus, quidquid agit, plauſum ſæculi præſentis, commendationem ſequentis meretur. Aurati velleris Equitem, (ſumptâ à Gẽtilitio Agno denominatione) quiſquis GEORGIVM dixerit, minimè errabit; talem enim cũ animi magnanimitas, cordis generoſi vigor, & verè Mavortius ſpiritꝰ probant & oſtẽdunt. Et quemadmodum ſuis Heroicis actibus; quos cum voluptate exercet, implet ſæculorum Annales; ita perplures ſuavî gloriæ illiciò; ſui, ſuorumque actuum ſequaces & imitatores fecit, nõ cogendo, ſed ad fortia quæ Virum & Heroa decent animando. Ad normam GEORGII cumulat famam Domûs ſuo nomine, factîs olim faſtos & paginas impleturus Reverendiſſimus ALBERTVS SZANIAWSKI, futura Inſularum conſolatio, ſplendor, tum decus eximium. Non conſulimus de eò Haruſpicum reſponſa, non inaramus circinîs Cælum, ut ex ſideribus reſciamus, non ſollicitamus Deum Cyrrhea ſecreta

moventem, nec Tripodem usitatis allabo-
rantem ambagibûs scrutamur augurando,
apparet optimè ad Hesperios Soles, quis
tandem & quantus prodibit Sacrorum Ar-
biter? qui in Principe Urbium doctis co-
gitationibus intentus, suum ad Diœcesum
curas aptat ingenium, non ignarus eum;
qui caput debet esse multorum, hac strin-
gi obligatione, ut multa sciat, & sicut im-
periô præstat cæteris, ita mente doctissimâ
antecellat. Multi sunt, quos levis levia sci-
endi urget animus. nôsse nimirum quàm
latus â fonte Tyberis? quàm celer in fluxu
Anio? quã profundus in vortice Padus? inqui-
rere quot Roma hortos? quot Italia fon-
tes? quot ludos Gentes ad oculorum deli-
cias & oblectamenta habeant. Plerique
quàmprimum in Urbem venerint, percur-
runt fora, obviant euntibus, quærunt im-
portunè, à quo? & quot equus Curtij veni-
verit sistertijs? quis in eo color? quæ moles?
quæ generositas? ubinam Apicij culina
fuerit? ubi Messâlinæ fornix? ubi fraternô
maduerunt Sanguine muri? Procul sunt hæc
à SZANIAVIO, immo procul ab ijs SZA-
NIA-

NIAVIVS; qui ſciendi deſiderium non ludicrâ hâc nugarum notitiâ, ſed veris artibus; quales generoſam & ad magna natam indolem decent, paſcit & exſatiat. Crebra illi cum Juſtiniano, legumq; peritis converſatio: diſcit à Canoniſtis in ſuis codicibus loquentibus, quot ſint in univerſum leges? quot Sanctiones? quot decreta? quot juris regulæ? ipſe poſt reditum ad Patriam exemplar juſtitiæ, Canon æquitatis, & viva juris regula futurus.

Peregrinam tandem pennam; ne per laudes SZANIAVIAS vagari videatur, ad Patrios CONSTANTINI Principis Severiæ revoco Penates, felices nimirum ſexena prole Parentes, utroſq; SZANIAVIOS. Duo hæc præcelſæ Familiæ Nomina, potius dicam SZANIAVIÆ Numina Gentis, ille ſatis & ex æquo laudabit; qui ex Celſiſſima & Illuſtriſſima eorum Progenie collectam pro tholo argumenti ponet eminentiam. Meruêre vel exinde ingentem ſæculorum plauſum, quòd eorum Sangvis diffuſus in Filios, coram orbis Poloni facie Senatorio murice reſplenduit, nec ſplendere deſinit, quem profuſiſſima titu-

lorum suorum luce dignissimi Nepotes clarificant. Si Filij ad Patrum suorũ formantur exẽplũ, & posterior viva est sẽper imago Priorũ; quid de Antenatis censendum? si in Natis tãtam gloriæ molem spectamus. Grandes re vera fuêre fluvij, ex quibus Rivi hi promanârunt: procerissimæ arbores, ex quibus tam magni prodiére rami, quos vel ex fructibus eorum cognoscere licet. Jactet stellantem Leda Sobolem, Cornelia Grachos, Illustrissima SZANIAVIORUM Mater (quam à progenito CONSTANTINO HELENAM dici non culpabile habetur) has antiqui sæculi Deas, & felicium Genitricum idæas, tam claritate excellentissimi Generis, quàm Filiorum numerô, quos sex in Ecclesiæ & Patriæ præsidium fæcundo partu peperit, vincit & triumphat. En nova Ledæîs Soboles fulgentior astrîs THEODORUS, MARTINUS & IOANNES (cæteri in clarissimis suis Pignoribus videndi) SZANIAWSCII, Germani CONSTANTINI Fratres non vana Patritiæ gloriæ nomina, prætulère. MARTIANUS Scholasticus Vilnensis, Secretarius Regni, Trocensis Præ-

posi

poſitus maximorum honorum illicium, ex quibus dum plurimi Domum pulſarent; ſacros tantùm admiſit Infulìs certè coronandus, niſi illas mereri magìs volupe haberet, quàm poſſidere. Scholaſtici titulo perfectâ correſpondit ſapientiâ, quæ eò illum eminentiorem reddidit, quò alijs doctiorem. In ejus capite; velut olim in Jovis Olympici cerebro concluſa Pallas in MARTIANO Tripodem aperuit, veriora Vilnæ reſponſa ferentem. Cœlo delapſum ab alto crederes, niſi ſe illuc per mille pietatis actus totidemq; virtutum exercitia in vita, diſpoſuiſſet, præmium operum bonorum recepturus. THEODORVS Dapifer Trocenſis cum IOANNE Capitaneo Koniavienſi Viri generoſô & prudenti ingeniô, ac utraque Fortunâ majores, famam ſuam non patiũtur anguſtìs claudi repagulìs. omni ævo & ſæculo creſcentem. Duobûs his Domûs SZANIAVIANÆ Heroibûs quid unquã vidit Orbis humanius? quid terra peperit melius! quid Patria habuit amantius? horum dum merita legimùs, Virtutem æſtimare debemus. Ab ijs Reſpublica ea ſin-

ceritatis & amoris erga ſe accepit documenta, quæ ab alijs diu expectari, rarò tamen obtineri poſſunt. Conſpiratîs animîs eò ſe ſemper conferebant, ubi boni publici, & libertatis amor, ubi vis honeſtatis & virtutum præponderabat magnitudo. Illorum alterius, Koniavienſis videlicet Capitanei nativum Nomen defluxit ſimul cum Sanguine in unicum multarum perfectionum & virtutum Filium, Illuſtriſſimum D. STANISLAVM SZANIAWSKI Capitaneum Auguſtovienſem, candidiſſimum Poloniæ Florem & ſingulare ævi noſtri delicium, eô intentô & omine; ut à filiali fama redderetur vocalius. Sonat jam clariùs ære Corybanthio per ſingulas Regni Provincias, & ora populorum, augentibûs claritatem meritîs, addenteq; Virtutum ſuarum harmoniam STANISLAO. Singula quæ hîc de ipſo ſcribenda ſunt, complecti cuperem, ſed denſior geſtorum ſeries, & uberrima laudum materia ingenium ſcribentis confundit & propenſiſſimum in elogia calamum defatigat. Sublimitas excelſi generis, & clariſſimæ primis in Regno

Faſci-

Fascibus cognatæ Stirpis dignitas, reverentiæ potiùs, quàm laudationis admonent, unde quoties de ijs junctim aut viritim dicendum venit, toties profundô silentiô & comi veneratione certandum.

Reliqua Magnorum CONSTANTINI SZANIAVII Fratrum Nomina, præclara olim Patriæ Decora, beatâ in Cœlestibꝰ Regnis æternitate coronata non induco seorsim in paginam, sed ea præcelsis Illustrissimorum Filiorum suorum IOSAPHAT & FABIANI SZANIAWSCIORVM jungo Imaginibꝰ, ut ex his appareat illorum magnitudo, atq; ex horum splendoribus illorum elucescat eminentia. Primus unius, alter alterius mensura est, imò verus majestatis typus & vultûs expressio. Primus quidem Illustrissimus & Excellētissimus Dominus IOSAPHAT SZANIAWSKI Subdapifer Regni, Chęcinensis & Małogostensis Capitaneus, optimorum morum gravitate, firmâ in omnibus constantiâ, affabili comitate & hæreditaria Domui suæ fortitudine meritissimum si non superavit, certè æquavit Anchisen, sanctiore metempsycho-

ſeos argumentô in ſe hærentem. Quid illa ejus rebus in agendis activitas & mentis limatiſſimæ candor? qui ſicut intuentium oculos perſtringit ſvaviter, ita animos ad indeſinentem ſui æſtimationem trahit delectabiliter. Quocunque innubem & rugarum expertem frontem ſuam infert, ibi obvia quæque ſerenat, eô gloriæ ſuæ proventu; ut nemo non cum voluptate, nemo non cum fauſta apprecatione aſpiciat idem amabile objectum. Patet in JOSAPHAT, quàm bona AGNI Gentilitij conſtitutio: inhærentibûs capiti ſuo Ducalibus Mitrîs excelſus, non tamen elatus, vellere ſuo purpureo ſuperbire, honoribus inſoleſcere neſcit, puriſſimum modeſtiæ ſymbolum & character bonitatis. Conſule hîc, quid de ſuo ſentiat Capitaneo, Chęcinenſem Areopagum, dicet juſtum ſimul & clementem, ſeverum & benignum, amarum pariter & dulcem, aliàs nec ſceleri faventem, nec virtuti injurium. Ire per plurima juſtitiæ documenta longum eſt, longius tamen omnia; quæ diuturnîs per publica negotia experimentîs SZANIAVIUS hic Patriæ

noſtræ

nostræ obtulit recensere solamina, novissimè aucta duabus lectissimis Filiabus & Filijs CONSTANTINO & IGNATIO maximæ spei Juvenibus ex Illustrissima Consorte ANNA OSSOLINIA MAXIMILIANI Thesaurarij Regni & CATHARINÆ ex MIACZYNSCIIS Filiâ, IOSEPHI Sandomiriensis Capitanei Germana Sorore, Illustrissimi olim & Excellentissimi Domini MIACZYNSCII Palatini Volchyniæ magna Nepte susceptis & procreatis. Quid est OSSOLINSCIORUM Domus? si non totus ab antiquo Senatus, tot scilicet Dictatoribus, quot OSSOLINSCIIS eminens. Rarus est & ipso phænice rarior Domus hujus præcelsæ Nepos, qui aut nitētē purpuram non ferat, aut aptos ad eam non habeat humeros. Per Fasces Ossolinsciorum numerantur Avi: nec vices novit mutare, sed fixus in omnes Cognatos procedit Honos. O altitudinem SZANIAVIANORUM Penatium! o Stirpis excellentiam! tot Purpuris exornatam, tot Senatoribus auctam, tot Celsissimis Ossolinsciorum

titulis ſublimatam, Alter Illuſtriſſimus & Magnificus Dominus FABIANVS SZANIAWSKI Venator Magni Ducatus Lithvaniæ, Sochaczevienſis, Czerkavienſis, Moſtovienſis, Radzicenſis, Kąkolęwnicenſis Capitaneus (Præfecturas numero, ut deducam magnitudinem FABIANI uno non poſſe capi angulo, & Agnum illius Gentilitium juſta requirere ſpatia) itidem grande Parentis ſui Nomen ita meritìs adimplevit; ut in tota illius vaſtitate nihil vacui reperires. Compar Magno Filio genius, quidquid intra ſe erudita Capita volvunt quidquid in artibus optimè ſapit, uno mentis codice complexus, compendiatæ ſapientiæ ſumma & epithome dici meretur. Redivivus in eo relucet Demoſthenes, nam quidquid loquitur floridum eſt; quidquid ediſſerit, roſeum: quidquid agit, liliatum. Inter raras præcellentis ingenij & animi dotes, candor illibati pectoris, qui ſemper Purpuris præludit, FABIANO dilectus, efficit omnis labis expertem & purum: & quidni talem? cùm ille omnem probitatis vigilantiam in ſuæ conſcientiæ

excu-

excubias sollicitet, ut vitijs aditum neget. Magni Venatoris ut expleret officium; aurea affectuum suorum funiculis charitatis intertexta extendit retia, in quæ felicior Venantius vota Lithvaniæ, amorem Regni Procerum Civiumq; corda eô pertraxit eventu; ut omnium scopus & meta fieret. Blanda hæc cordium & animorum captivitas, sicut mancipatis volupati est; ita Venatori SZANIAVIO gloriæ & honori. Honoris hujus magna est portio Matronarum ævi præsentis decus, Illustrissima ELEONORA ex POTOCCIS, unicè dilecta Venatoris Consors, Celsissimi THEODORI POTOCKI, Archiepiscopi Gnesnensis, Abbatis Tynecensis, Regni Poloniarum & Magni Ducatûs Lithvaniæ Primatis primiq; Principis nobilissima Neptis, adolescentium in spem Patriæ & columen Domûs Filiorum dignissima Mater, multarum Virtutum; inter quas modestia fasces tenet receptaculum & inexhaustus thesaurus. Victoriosissimum Gentilitiæ Crucis suæ Lignum, & triumphales Abavorum suorum palmas secum translatas Natali SZA-

NIAVIO implantavit ſolo, ubi poſtquam innumeris refloruêre trophæis, abhinc Domus Venatoris SZANIAVII (nunquam aliàs non magna & florida) facta eſt Lechiæ Hortus voluptatis. Hîc videre eſt, quàm pulchro & concordi greſſu per purpurîs ſtratos ceſpites formoſiſſimi Agnelli, maſcula Ovis innocuæ tum quoq; candore notabilîs ipſo, nempè Eleonoræ Matris progenies procedunt; quibus Gentilitius Magni Venatoris Agnus, laudandis inſiſtens progreſſibus præit ad gloriam, & quà eundum ſit ad aſtra, quà procedēdum ad faſces honorumq; faſtigia? quomodo de virtute in virtutem ſaliendum? oſtendit & docet. Ignoſcite lectiſſimi Heroum Flores, ſuperſtes Principis Celſiſſimi Sangvis! ignoſcite capaces in vita beatitudinis Animæ, quòd exiguîs laudibûs Veſtra vix volumine toto capienda celebravi nomina: publicus mærentium cordium fecit dolor, quod verba abſtulit: rorātes lachrymæ quòd opplevêre ſepiam: continua mortis Præſuleæ recordatio, quòd miſcuit cogitamina; funereus querentium cāpanarum fragor, quód vocum intertur-

terturbavit consonantiam, atq; ita mutum in Vestra elogia fecit. Cùm igitur loqui de Vobis plura non possim, saltem attonitô supercilió cognatos Vestrûm splendores demirabor. Et jam video POTOCCIOS, OSSOLINSCIOS, SAPIEHAS, SKARBKONES, ZAMOYSCYOS, IABŁONOWSCIOS, KVNICCIOS, ŁASCZIOS, MIACZYNSCIOS, WORONIECCIOS, POCIEIOS, atq; millena alia grandi lumine in Domum Arietis confluentia Sidera, inter quæ Magnus Celsissimi olim Principis CONSTANTINI FELICIANI SZANIAVII Spiritus ad vitæ mortalis vesperam micat, velut inter ignes luna minores. Tam illustrem Antistitis occasum, clarus & ipse præcessit ortus, famulantibûs ad Cunas nativîs Cerîs & Pyrîs Avorum triumphalibus. Geminata hæc claritas; quæ futuræ Præsulis præluxit magnitudini, extinxit prodigiosas circum caput omne micantes Servij & Ascanij flammas; dum jactîs in Constantinum magnorum splendorum scintillîs, illum adhuc per stragulas reptātē; priusquam fieret, Celsissimum fecit. Eminuit ad præfatam

lucem in primo ætatis diluculo optima & ad omnem excelſarum Virtutum normam efformata Conſtantini indoles, in indole patuit comitas, in comitate eluxit candor, in candore mille futuræ Parentum & Patriæ conſolationis apparuêre indicia, tam certò ex poſt expleta, quàm non falſò ab ante præſignata. Fuerit olim caſu an conſiliô factum; quòd tener ætate Cyrus à minorennium ſecum ludentium juvenum turba per viliſſima lapillorum ſuffragia in Regem parvæ illi Reipublicæ electus, herbidâ corollâ Perſico diademati, Sceptro arundine præluſit. Feliciùs id evenit CONSTANTINO, quòd inter bellulos juvenum flores, inter coætaneos ſibi Narciſſos & Adonides animoſo vultu ac ingeniô elevatior præeſſe exorſus, futuro ſe Diæceſum decrevit regimini: priùs Princeps Severiæ, quàm Mitram indueret: priùs Præſul, quàm Præſuleo inniteretur Scipioni: priùs Celſiſſimus Eccleſiæ Sponſus, quàm ab ea annulum caperet: priùs Paſtor Ovium, quam Paſtoris officio fugeretur. Ita in parvo corpore major ſe ipſo CONSTANTINI Spiri-

tus

tus ad ſeria rerum converſus cuncta expectantium vota prævolavit. Cum de Hercule aut Macedone docti narrarent Chirones, manum ad fortia erexit Achilles SZANIAVIUS; cùm de Romanorum Caſſio, exarſit libertatis zelô; cùm de Catone, maturum ſuſpendit ſupercilium; cùm de pio Numa, cælos & Numina reſpexit, cùm de Literatis, ſepiam pennamq; popoſcit, ſtudioſus omnium imitator, ſibi ipſi iratus; quòd hactenus ea, quæ alios diviſa beatos effecerunt, collecta non teneret. Si hæc miramur in florido, quid ſperandũ in arido; dum ab aurora ætatis SZANIAVIUS veniet ad meridiem? Indignum ſe recenſuit Præſul, ut CONSTANTINI portaret nomen; niſi illud magnitudine virtutum magnum efficeret & literîs commendatum. Intulit politiſſimam Palæſtris Jagiellonicis (ſit quoquè ſuus inde Pijs Varſavienſibus honor) promptiùs frontem, Divino Jovis cerebro vaſtiorem; quia non unius Minervæ, ſed tot Palladum quot artium, tot Dearum ſapientiæ quot ſcientiarum capacem. Percepit quæ in ſcientijs occur-

runt difficilia: enodavit, quæ contingunt perplexa: intellexit, quæ multorum mentem confundunt rerum Divinarum myſteria; idq́; eâ laudatiſſimi ingenij felicitate, ut celeriꝰ à diſcente caperentur SZANIAVIO, quàm à docente panderentur Magiſtro. Unicus erat, qui ſedulitatis gloriâ, rariſsimi ſubtilitate acuminis parem in ſtadio non haberet, nõ ſecꝰ ac illuſtrior Tĩtã in æqualitate lucis ſocium Planetam non admittit. Præter Sacroſancta Cœleſtis Sapiẽtiæ dogmata, præter inconcuſſa Legum & Juris utriusq; oracula didicit, quà arte Jani oſtia claudi? quâ viâ diſſentientes uniri animi? quibûs medijs deſperata Patriæ curari ſalus? quâ manu eripi de naufragio urbes? quâ methodô triſtes ſerenari Cives? quibûs conſilij remîs Navis Reip: regi & à diſcrimine ſalvari? quove fluctꝰ poſſint moderamine falli? quod matura mente ſciviſſe ad perpetuam commẽdationẽ & immortalẽ SZANIAVIANI Nominis memoriam ſuffecit CONSTANTINO. Perſonata hæc in terris Intelligentia ad Sacras Diœceſum ſphæras & Lechicos Orbes dirigendos & tenendos cœlitùs deſtinata,

nata; quid & quantum senserit? conjecit Varmia in suo olim Canonico, Vilna in Scholastico, Cancellaria M. D. L. in dignissimo Regente, Ducatus Lithvaniæ in facundissimo Referendario, Senatus in purpurato Senatore. Generosissimus Lithvaniæ Hector POGONIA quousq; citatiori suo feretur sonipede, semper dignis extollet elogijs cum laude peracta SZANIAVII ministeria; quæ ut ex se dignissima sunt, ita cupiunt in Acta referri. Per tot honorum & subselliorum gradus cucurrit, nullum tamen reliquit, in quo laudatissima ad imitationem se imitari volentibus, virtutum non impresserit vestigia. Varmiæ comitatem, Vilnæ concinnam morum symetriã, Lithvaniæ Areopago normam justitiæ dedit, omni sæculo approbandam. Quis referet? quot secum solatia & gratias tulit Vladislaviẽsi Diœcesi magnus illius Antistes CONSTANTINVS? obivit totam laborioso passu, incursionibus hostium & temporum calamitate vastatã restauravit, Clero & Ecclesijs adauxit, erroribus & pravitate hæretica purgavit, in obsoletis sacrorum ritibus

emendavit, verbo: lateritiam mutavit in marmoream ideſt in meliorem. Nulla facundi oris ubertas exprimet, quot vigilantiſsimus hic Paſtor & Viſitator tulit labores? quot profluvia ſudoris effudit? quot viarum & àëris incommoda, quot toleravit inquietudines? Solis ardores mitigabat pio de pectore pro felici Ovium ſuarum & Libertatis ſucceſſu motus ad Superos anhelitus; profundas nives planabat præconcepta in bono opere conſtantia, hyberna frigora temperabat ardentior pro gloria DEI zelus, latos Cujaviæ fines obambulanti CONSTANTINO pediſſequus. Gratam ſe exhibebit in ſeris poſteris SZANIAVIANO Nomini pro Paſtorali ſollicitudine Vladislavia, gratiſsimam Polonia, & florentiſsimum hoc ſua Libertate Regnum; ad cujus curas omnem animum converterat Præſul, favore Numinum in hæc tempora Patriæ datus, cùm in deterius irent omnia, cùm temerata pax, læſa Civium diſſidìjs libertas proximam minaretur ruinam, cùm miles obſequium aſpernatus illicita auderet omnia, cùm exteri Gigan-

tes

tes armatâ manu Polum Sarmaticum impeterent, cùm miſeris Civibus in ſuis cladib9 licuit nullam ſperare ſalutem. In tam procelloſo rerum turbine, interque tot malorum fluctus, hunc nobis trepidæ ceu ſidus dulce carinæ oſtendêre Dij, qui ſapientiſſimi remîs conſilij à charybdibus & ſcilis diſcriminũ ſalvaret Navim Reipublicæ. Gravia illa erant omnia, difficilia univerſa, cuncta perardua: vicit tamen omnia, triumphavit univerſa unus ſed animô magnus Cõſtantinus, qui cunctis optata quies, qui ſola perîcli turris erat. Dicam clariùs: Poloniam CONSTANTINVS protexit, Libertatem ſervavit, diſſidia compoſuit, hoſtium furores Majeſtati infeſtos extinxit, licentiam militiæ coërcuit, publica itinera latrociniis & excurſionibûs mundavit, Fidem Superis, Superos Templis, Templa Sacerdotibus, Sacerdotes Aris agroſq; colonis reddidit, & lethi rapuit de faucibus urbes. Taceat Romana vetuſtas Herculeos SZANIAVIANIS conferre jam deſinat actus, qui in comparatione horum idẽ ſunt, acſi centenario numero unicum apicem, vel vaſtæ propontidi guttas a-

liquot ſuperaddas. Ridiculum foret Xerxē cōpedibus vinxiſſe pelagi inſolentiā, niſi id verè feliciori Xerxi CONSTANTINO contigiſſet, quòd ſuô ævô mare illud animorum turbulentiſſimum tot fluctib9 & procellis diſſenſionū agitatū frænavit, dū vincula injecit unitatis. Pollebat pari cum Theſſalo Cinea felicitate, quādo pro ſuo Pyrrho & Patria decertans, inter hanc & illum medius diſerti ſui oris inſtrumentô, plures Bellonæ & Martis animas; in quibus jam viſcera miſericordiæ & omnis internæ bonitatis vigor perierat; Paci & Concordiæ ſubegit; quàm ſi ferocibûs armîs toto pœnè decennio certaretur. Liceat jactare Phæniciæ, mortiferā luem in ſuis ceſsâſſe Urbibus circumferēte per illarum cōpita Agnum Mercuriô: dignius gloriatu eſt; quòd peſtis illa diſcordiarum; cujus contagione Polonus noſter annos per plurimos laboravit Septētrio, ad aſpectum AGNI SZANIAVIANI ſedata, finē malis intulit; quæ diu Conſo, ut ſalubrē medelam ferret indigebant. Hìc ſe parum reflectat Polonia, quantum gratitudinis AGNO SZANIAVIANO debet! qui adverſa

tol-

tollens Civibus donavit pacẽ, qui lachrymarum pluviã in vellus suum recepit, qui candidâ lanâ madentes oculos detersit, qui fortiora Consiliorum fila substituit, ut è labyrintho malorum captivi liberarentur Thesei. Meruerat Agnus hic fraudis & doli nescius; ut corã eo nõ quatuor & viginti Seniores sicut corã Apocalyptico; sed totus quà latè patet Polonus Orbis, (qui se hoc ipso Ariete ab hostium insultibus defendit) in venerationẽ procideret, curvaretq; humilẽ cum vertice frontem. Vidimus in Cracoviensem Vavellum Regijs AUGUSTI II. favoribus sublimatum, & adoravimus: spectavimus purpureo murice rubẽtẽ, & homagia dedimus: observavimus Ducali Mitrâ & Pontificiâ tiarâ coronatum & procubuimus, dedimus gloriã CONSTANTINO. Ad hunc vectigalem reverentiæ censum pacificatam Remp: & illos omnes pertraxit, quos liberalissimis cumulavit beneficijs. Metere se gratitudinis herbas censuit, cùm seminavit munera; congregare fortunã; cùm eam dispensaret: colligere dum dispergeret, accipere cùm impertiret: fænerari, cùm sine retributio-

butione donaret. Fluxa bonã nõn amavit, nisì ut fluerent, & quà intrârunt, exirent in ſubſidium egeſtatis. Adimplevit Epiſcopalis finem vocabuli, dum FELICIANUS Epiſcopus factus eſt ſcopus & meta miſerorum. Extendit cum ſole manus novus ſua ætate Bonifacius, in Pauperes Matris DEI liberalis: in Congregationẽ Clericorum ſæcularium in Cõmuni viventium beneficus: in Societatem largus: in Congregationem Miſſionis Presbyterorum ſæcularium munificus, profuſus, gratioſus. Cimon hic Sarmaticus ſemotis difficilis ad ſe admiſſionis ſepimentis aperuit cõmunes in uſus hortum gratiarum ſuarum; propoſuit menſas ſtudijs Cracoviæ, Sandomiriæ, Lukoviæ operam navantibus Nobilibus Polonorum Filijs, tot habiturus munificentiæ ſuæ Præcones, quot fecit Commẽſales & Alumnos. Nõ potuit meliùs Benedictꝰ AGNUS SZANIAVIANUS exprimi; quàm in illuſtri Lechicæ Juventutis Cera: non potuit magnum ad beneficia declinabile CONSTANTINI Nomen memoriæ poſterorum mandari; quàm dum á tot literatis Achillibus cum artibus ſimul diſcitur,

scitur, omni ætatũ decursũ memorandũ. Vernabit illud in tot Narcissis, fragrabit in tot Floribus, germinabit in tot Surculis, stabit in tot Ecclesiæ & Patriæ Fulcris, ipseq; coram Cœlo in causa salutis aeternæ triumphabit CONSTANTINVS, pro quo stipendiaria hæc militia, hodie Gentilitio Ariete hostem ignorantiæ debellans, jaculatorijs precib9 dimicabit. Suffragabuntur ejusmodi in Cœlis SZANIAVII triumpho pietatis armîs Religiosi cætus; quos sibi cumulatis in vita devinxit favoribûs, gratiis obligavit. Vivit sua post fata Præsulum Phænix in illorũ memoria, superest potiore sui parte in tot basilicis Sacrarũ Ædium Operib9, superest in reædificata ingentibûs curîs & impensis Arcis Cracoviensis structura: ab hoc maximo Coronatricis Regum Vrbis ornamẽto, oculorũ delicio, Septẽtrionis Poloni primo & principali olim miraculo; Sacrosancto pijssimorũ Regũ & Reginarũ Poloniæ domicilio cõmendabilior, quàm suis Diocletianus à thermis, Nero à Palatijs, Roma à Septizonijs, Arthemisia à Viri sui mausoleo, aut Rhodij à Solis colosso. Superest & in Vobis *Illustrissimi* Heroës SZANIAVII! idq; vel maximè; nimirum quẽ vivũ in cordib9, vivũ geritis & in animis. Depinxistis in Vobis gratiosam Amantissimi Patrui Vestri Imaginẽ, imò Vos ipsi facti estis illius vera prototypa & genuini Majestatis indices sic oculos, sic atq; manus, sic ora ferentes. Obest densissi-

ſiſſima mæroris nubes, caliginoſa mortis nox, atq; tenebricoſ9 mærẽtis Eccleſiæ ſquallor; ut ſe oculis noſtris manifeſtet; ſed volvis mente præſentiſſimū *Illuſtriſsime & Reverendiſsime Domine* MICHAEL KVNICKI, Epiſcope Arſinoënſis, Suffraganee & Archidiacone Cathedr: Cracovienſis, Cuſtos Sandomirienſis, illius olim amabile corculū, & dexter ocelle. Nō potes toto non compungi pectore, quoties illū in feretrū cecidiſſe intra te recogitas; cujus nuper in corde totus, totus in animo habitâſti. Fabula ſit monocerotē cohabitatorem pati non poſſe; dùm Tuus Gentilitiɘ cum AGNO SZANIAVIANO amiciſſimè uno vixerit in Ovili, efficiēte id in eis philadelphiâ, ut una foret utriuſq; operatio, unū velle & nolle. Tanti amoris documentū in ultimis etiā ſuis tabulis expreſſit Præſul; dum Te extremæ Voluntatis ſuæ Patronum & Protectorē inſcripſerit, quaſi illa aliter immunis eſſe nequiret, niſi cuſtodem Tuū magnanimū haberet Vnicornem. Pro AGNO nil iſte pati, nullūq; recuſavit diſcrimen tolerare ſui, ſive gravia domi munia, ſive viſitandā circumobiret Diœceſim. Gratū & nunc præſtabit obſequiū, ſi devoto petet æthera cornu, & ſeſe pro Agno in victimam ad Altare Domini immolabit. Cōcurretis & Vos pijs ſuffragijs Veſtris duo Lumina Templi, magni nuper Celſiſſimi PRINCIPIS Achates, nunc digniſſimi Præſtites. *Perilluſtres & Reverendiſsimi Domini* VENCESLAE

SIERA-

SIERAKOWSKI, V.I.D. Canonice Cathed: Cracoviensis, Custos Coronarũ, Scholastice Sãdomiriensis: & IOSEPHE ROGALLI, Medicinæ Doctor, Canonice Cathedr: Cracoviensis, Custos Kielcensis & Pilecensis; ut superni Spiritꝰ attollant quantocyùs portas æternales eunti ad locum Pascuæ Cœlestis AGNO SZANIAVIANO; juvabitis Animã Principis sacrificiis, ut in luce Sanctorũ fac[illegible]is Celsissimã: curabitis, ut Gemmã Antistitũ CONSTANTINVM æternitatis annulo inseratis. Assumpserat Vos ille Curiæ suæ in decus & in curarũ Adjutores, meritîs, Virtutibꝰ & illibatâ cõscientiâ cõmendabiles, tales videlicet; in quibꝰ lynceus Argi illius oculus nihil sinistri videre & suspicari valeret. Gaudebat plerũq; (gaudiũ tegẽte Majestate) pientissimꝰ Princeps, quòd uti ille in ligandi & solvendi potestate DEI vices ageret, geminos sibi Angelos in Ministros adoptaret, Vos nimirũ Magni Præstites! quibus quemadmodũ vivus cuncta peragenda credidit negotia; ita moriturus Animam cõmendavit, & quos vivus quorumvis Operum Cooperatores coluit, eosdem sui post funera voluit habere Tutelares. Sagittã Tuã Gentilitiã *Reverendissime D.* VENCESLAE SIERAKOWSKI! ex millibus electã, totâq; Pharetrâ Apollinis nobiliorem quamprimũ Hesperio advolavit ab axe, in Curiæ suæ præsidiũ assumpsit, eâ aciem negotiorũ Tê dimicante victurus. Penetravit hæc

ad intima usq; vastissimi Cordis Principis, svaviter tamen & sine vulnere, ad mulcendū nō vulnerandū destinata. Ad solem nullam Sagittam posse ascendere proverbium quidē est, ast in tantum fallibile; in quantum Tuā Gentilitiā Phæbo Vavellanæ Ecclesiæ CONSTANTINO FELICIANO SZANIAVIO propè accessisse & ferè adhæsisse evidentibus constat indiciis. Damnavit ad vaginā Sacra Themis districtū gladiū præcelsā Tua facta Sagittā, quæ sicut Postcuriali Areopago authoritatem sua rectitudine auxit, ita hoc in animis collitigātiū evicit, ut ab ijs publicò spargeretur rumor, SIERAKOVIANAM, dico Tuā ad Cœlū obversam Sagittā DEVM pro scopo æquitatis habere. Monstrabit hæc notam sibi ad Superos viam CONSTANTINO Pontifici, qui post consummatū laudabiliter peractæ vitæ decursum, post expletū plena cum integritate & vigilantia boni Pastoris munus, post res Lechiæ in pace cōpositas, sarcinâ mortalis corporis solutus portū æternæ gloriæ, prælucente splendidâ vivæ ac veræ Fidei cynosurâ tangere & posidere desiderat. Cōversâ adhuc hoc in cursu ad nos facie Pastor noster, Ovibus suis ultimatim Pastorale illud intonat vale, omnibusq; omnia vovet: Et quidem Orthodoxæ Ecclesiæ perpetuā tranquillitatem, Regnatori AVGVSTO secundas semper victorias, Reipublicæ nunquam desiturā pacem, Senatui assistricem in arduis Cœli Intelligentiā: trinis *Illustrissimi* CAPITVLI Coronis, pretiosos omnimodæ prosperitatis lapides: Præstitibus suis illustres Tiaras, Illustrisimo Domus suæ augustæ Sangvini dignisimis Nepotibus & Pronepotibus summos in Republ: honores: & cùm à ferali squallentis sarcophagi ara Præsuleum illud *Pax Vobis* ingeminat, vicisim poscit; ut se ad Coronam gloriæ immortalis tendentem pijs comitemini suspirijs; postquam jam A G N V S illius Gentilitius sit in Loco Cœlestis Pascuæ

COLLOCATVS.

~~Szaniawski Constant. Felicianus~~

~~Episc. Cracoviensis~~